DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE ANASARCA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SMYTH, A. B.

TRIN. COLL. DUB.

HIBERNUS;

SOC. MED. HIB. OLIM SOCIUS,

SOC. PHILOSOPHICO-LITERAR. SOC. EXTRAORD.

NEC NON,

SOC. HIST. DUBL. ET SOC. SPECUL. EDIN.

SOC. HONOR.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit.——— OVID. MET.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCV.

THE PRACTICE OF MEDICINE is one of the moſt honourable profeſſions exerciſed among the ſons of men;—a profeſſion which hath been revered at all periods, and in all nations, and even held ſacred in the moſt poliſhed ages of antiquity. The ſcope of it is to preſerve the being, and confirm the health of our fellow-creatures; of conſequence, to ſuſtain the bleſſings of ſociety, and crown life with fruition. The character of a Phyſician, therefore, not only ſuppoſes natural ſagacity and acquired erudition; but it alſo implies every delicacy of ſentiment, every tenderneſs of nature, and every virtue of humanity.

SMOLLETT.

AVUNCULO SUO CARISSIMO,

GULIELMO SMYTH,

ARMIGERO,

CUI DEBETUR

QUOD HUC USQUE

IN STUDIO LIBERALIUM ARTIUM

ET MEDICINÆ

PROGRESSUS EST,

BENEFICIORUM TALIUM ET TANTORUM

HAUD IMMEMOR,

HOC OPUSCULUM,

ANIMO QUAM MAXIME GRATO,

D. D. C. QUE

JOANNES SMYTH.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIA

DE

HYDROPE ANASARCA.

Auctore JOHANNE [illegible]

H[illegible]

[illegible]

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

Auctore, *JOHANNE SMYTH.*

HYDROPS ex iis morbis eſt qui vitae maxime infeſti ſunt, multum praeterea moleſtiae ſecum fert, ſaepiſſime homines afficit, et frequenter lethalis evadit; igiturque naturam ejus et curationem medicos probe cognoſcere oportet. Quoniam omnes ſpecies Hydropis percurrere limi-

tes hujufmodi differtationum prohibent, de fpecie tantum ANASARCA dicta, mihi difceptare in animo eft.

MORBI DEFINITIO.

CORPORIS totius vel partis ejus intumefcentia mollis, inelaftica.

HISTORIA MORBI.

ANASARCA fere a tumore pedum ac malleolorum, qui vefpere praecipue obfervatur, initium fumit, praefertim fi aeger diu fteterit, vel multum per diem ambulaverit; mane vero plerumque evanefcit, vel multum faltem imminuitur. Cutis preffurae veftigia retinet. Morbo progrediente tumor gradatim afcendit, femora, abdomen, thoracem, et poftremo faciem, manus, et totum corpus occupans.

pans. Tumor pro corporis poſitione ſedem mutat; aqua enim gravitate ſua inferiores partes, magis quam ſuperiores, petit. Palpebrae ita ſaepe tument, ut viſus fere intercludatur. Tantum aliquando diſtenditur cutis, ut aqua per poros ejus ſtillet, vel cuticula in veſiculas elevetur, quae cito diſrumpuntur, et ſic ulcera ſanatu difficillima producunt, ſuperveniente haud raro gangraena. Functiones omnes nunc magnopere laeduntur. Ab initio morbi, urina copia diminuitur, et plerumque ſubrubra eſt, ſedimentum lateritium copioſe deponens. Cutis magis ſolito arida fit, et ſitis perpetuo urget. Alvus plerumque aſtricta eſt, ſed aliquando ſupervenit diarrhaea. Tuſſis ſicca, noctu praecipue moleſta, cum dyſpnoea et anxietate aegrotum fatigat. Arteriarum ictus plerumque ſolito frequentiores, et nunc parvi et debiles, nunc tardi et irregulares ſunt. Symptomata omnia nunc ingraveſcunt. Aegri vires magnopere franguntur, ita ut muſculi vim contrahendi amiſiſſe videantur. Aegrotus nauſea frequenter vexatur, ſyncope aliquando ſuperveniente; et, aucta jam ſpi-

randi difficultate, vix decumbere poteſt. Febricula fere continua miſerum opprimit ; et, debilitate magna accedente, tandem e vita tollitur.

DIAGNOSIS.

Inter morbos qui ſpeciem Anaſarcae prae ſeſe ferunt, praecipui ſunt Polysarcia et Emphysema.

Polysarcia ab ea facile his ſignis diſtingui poteſt. In Polyſarcia tumor impreſſionem digiti non retinet, nec ſedem pro corporis poſitione mutat; gradatim praeterea accedit, originem a victu lautiore plerumque ducens; ſitis quoque non augetur, nec diminuitur urina.

Emphysema, quamvis primo intuitu cum Anaſarca confundi poſſet, tamen ſatis ab ea dignoſcitur ſono crepitante, qui preſſura partibus affectis adhibita

adhibita percipitur; et ex eo quod Emphyſema repente invadit, haud ita Anaſarca.

CAUSA PROXIMA.

Causa hujus morbi proxima, in aucta exhalatione, aut diminuta abſorptione fluidi ſeroſi conſiſtere videtur. Arteriae enim exhalantes humorem ſeroſum vel aqueum conſtanter effundunt, quo omnia corporis cava irrorantur. Ne vero hic liquor ſtagnetur, vel ultra modum accumuletur, cavent vaſa lymphatica, quae eum conſtanter abſorbent. Igitur ſi augeatur exhalatio, non diminuta abſorptione; vel diminuatur abſorptio, exhalatione eadem manente; vel demum ſi augeatur exhalatio, et ſimul diminuatur abſorptio, neceſſe eſt ut fiat accumulatio fluidi ſeroſi, et ſuperveniat Anaſarca.

CAUSAE REMOTAE.

Hae in Praedisponentes et Excitantes jure dividuntur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Praecipuae ſunt vita ſedentaria, aetas provecta, diaeta tenuis, liquorum ſpirituoſorum uſus immodicus, aer frigidus ac humidus, evacuationes copioſae et frequentes, excretionum ſuppreſſio, et affectus animi deprimentes.

CAUSAE EXCITANTES.

Hae ſub duobus capitibus complecti poſſunt :—

I. Exhalatio Aucta.

II. Absorptio Imminuta.

I. Exhalatio Aucta.—Quae oritur ab his causis sequentibus:

1. Ab omnibus quae recursui sanguinis venosi resistunt. Impedimenta talia oriri possunt a venis compressis tumoribus, &c. vel polypis in venis existentibus; item a cordis polypo, vel hepatis vel pulmonum obstructionibus.

2. Ab omnibus quae copiam praeternaturalem fluidi serosi in vasis sanguiferis accumulant. Talis accumulatio oriri potest a liquidis praeter modum ingestis, item ab interruptis, vel suppressis his excretionibus, quarum ope pars sanguinis tenuior e corpore transit, quales sunt sudor et urina. Oriri quoque potest ab insolita et nimis larga evacuatione, praecipue a sanguinis abstractione.

3. A ruptura lymphaticorum vel saccorum, quae quamvis causa Anasarcae raro existat, tamen non desunt exempla quae ostendunt eam huic morbo aliquando ansam praebuisse.

II. Ab-

II. Absorptio Imminuta.—Quae oritur,

1. Lymphaticis ipſis, vel glandulis eorum obſtructis. Haec obſtructio pro cauſa Hydropis vix haberi poteſt, niſi aliis cauſis ſibi ſimul adjunctis; nam lymphaticorum anaſtomoſes adeo ſunt frequentes ut huic incommodo occurrere facile poſſunt; tamen nihilominus certum eſt abſorptionem hac cauſa, quamvis non in totum ſupprimi, multum diminui poſſe, et ſic morbo favere.

2. Venarum obſtructione in iis partibus lymphaticis carentibus. Anne haec cauſa vero unquam exiſtat forſan dubitari poteſt, quoniam ab analogia admodum probabile eſt nullam corporis partem vaſis lymphaticis in totum carere, quamvis, ut in cerebro, ſenſibus noſtris non obvia ſint.

3. A lymphaticorum atonia. Haec a debilitate univerſali oriri poteſt.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

I. " Anasarca fere a tumore pedum ac " malleolorum incipit."—Artuum inferiorum tumor ab humore in membranam cellularem effuſo pendet; namque aqua vi gravitatis ima ſemper petente, celluliſque ſecum invicem libere communicantibus, neceſſe eſt tumor partes inferiores primo occupet.

II. " Cutis preſſurae veſtigia retinet."—Aqua, preſſura adhibita, in vicinas partes confugit; igiturque cutis digito prementi facile cedit: tono vero et elaſticitate ſua fere in totum amiſſis, haud cito reſilit, et igitur veſtigium digiti pro aliquo tempore retinet.

III. " Cuticula in veſiculas elevatur, quae cito diſrumpuntur, et ſic ulcera ſanatu difficillima " producunt, ſuperveniente haud raro gangrae-

" na."—Serum diu in membrana cellulari ſtagnans, et acrius factum, cutem erodit, hinc ulcera: Gangraena oritur a debilitate, atonia, et flacciditate partium.

IV. " Urina copia diminuitur."—Pars ſanguinis ſeroſa vel aquea, quae per urinam e corpore ejici debet, in membranam cellularem effuſa, neceſſario quantitatem urinae diminuit: renum debilitas praeterea, aliqua ſaltem ex parte, ad eundem effectum producendum conducere poteſt.

V. " Cutis magis ſolito arida fit."—Ab exhalatione per cutem impedita hoc effici videtur.

VI. " Sitis perpetuo urget."—A faucium et linguae ſiccitate oriri poteſt, et hoc a partibus ſanguinis aquoſis in telam cellularem effuſis pendet.

VII. " Tuſſis ſicca cum Dyſpnoea."—Hoc effici videtur pulmonum compreſſione, ſanguiniſque

difficili

difficili per eos tranſitu; interdum vero ab aqua, in thoracis cavum effuſa, proficiſcitur.

VIII. "Arteriarum ictus plerumque ſolito fre-"quentiores, et nunc parvi et debiles, nunc tardi "et irregulares ſunt."—In initio morbi, cum corpus langueat, pulſus regularis, quamvis debilis eſt; progrediente tamen morbo, febris lenta plerumque accidit, unde pulſus frequens et irregularis fit.

PROGNOSIS.

Haec a cauſarum notitia, ſymptomatum violentia et duratione, ſimul ac aegri aetate, viribus, corporiſque conſtitutione deducenda eſt. Si morbus ab evacuationibus ſolitis ſuppreſſis initium habuerit, ut ab urina vel perſpiratione impedita, vel ab ulla cauſa, cui facile occurre poſſumus; ſi malum haud diu perſtiterit, et ſymptomata gravia ut urinae parcitas, ſitis magna, dyſpnoea, &c. abſint;

ſi aeger nondum aetate ſit longe provectus, nec morbis antecedentibus vel intemperantia fractus, fauſtum exitum forſan praeſagire licet. Si vero morbus ab obſtructionibus hepatis vel aliorum viſcerum originem duxerit, vel jam inveteraverit; ſi ſymptomata gravia, qualia tuſſis, dyſpnoea, ſitis, febris, &c. urgeant, et ſi aegrotus aetate provectus ſit, viribuſque ejus fractis, prognoſis infauſta ſit oportet.

METHODUS MEDENDI.

Consilia hujus morbi medendi tria eſſe videntur:—

I. Causas Excitantes tollere.

II. Aquam Effusam evacuare.

III. Tonum Systematis restituere.

CON-

CONSILIUM PRIMUM.

I. Causas Excitantes tollere:

Aliquae ſunt cauſae excitantes, ad quas removendas, ut antea dictum, nulla valent conſilia, nulla valent medicamenta ; polypus cordis, exempli gratia, vel oſſificatio valvularum ejus. Si morbus oriatur a ſcirrho hepatis, vel alius viſceris, ut ſaepe evenit, ut amoveatur obſtructio ſumma ope niti oportet. Inter medicamenta huic fini reſpondentia, praecipua ſunt chryſtalli tartari, hydrargyrum et cicuta. Haec aliquando, quamvis raro, huic vitio occurrunt. Si igitur diu perſtiterit morbus, et a ſcirrho pendere videatur, ad haec et hydrargyrum imprimis confugiendum eſt. Si morbus ex ſuppreſſione ullius excretionum naturalium originem duxerit, ſumma opera danda eſt, ut reſtituatur. Aegrum imprimis quoque admonere debemus,

bemus, ut causas quae ad morbum augendum valent, quam sedulo vitet; qualia sunt victus tenuis et aquosus, desidia, ebrietas, venus immodica, &c.

CONSILIUM SECUNDUM.

Aquam Effusam evacuare.

Duplici ratione perficitur consilium hocce; humor enim effusus evacuari potest vel viis arte factis, vel per remedia vasorum excernentium vim stimulantia et augentia. Variis modis arte detrahitur aqua, nempe, Vesicatoriis, Fonticulis, et Puncturis.

Vesicatoria.—Haec a nonnullis medicis laudata fuere; tamen alii, haud immerito, ut videtur, eorum usum improbant, quoniam gangraena eorum applicatione induci potest.

Fon-

Fonticuli.—Hi quoque gangraenam inducere ſolent, praeſertim morbo provecto, cum partes flaccidae ſint; tamen aliquando in initio, infra genu facti, haud inutiliter adhiberi poſſunt.

Puncturae.—Puncturae omnium horum remediorum optimae ſunt; nam aquam non ſolum cito detrahunt, ſed etiam partibus labem minorem inferunt. Cum hoc modo aquam evacuare cupimus, optimum eſt ut puncturae parvae fiant, digitoſque duos inter ſe diſtantes; primum ſupra genu; deinde, ſi neceſſe fuerit, ad partes inferiores gradatim et caute deſcendendum eſt; quo enim longius a corde diſtent inciſiones, eo majus eſt gangraenae periculum. In hoc faciendo cura maxima adhiberi debet, ne venae, nervi, aut tendines vulnerentur; partibus quoque inciſis mitius aliquod unguentum, ut ceratum commune, applicari debet. Si gangraenae appareant ſigna, remedia externa, ut fotus calidi, ſtimulantia, &c. interna quoque, ut cortex peruvianus et vinum, liberaliter adhiberi debent.

Nunc

Nunc de remediis aquoſas ſecretiones augentibus diſſerendum eſt. Haec ſunt EMETICA, CATHARTICA, DIURETICA, SUDORIFICA, et SIALAGOGA.

EMETICA.—Cum exempla quaedam non deſint vomitiem ſpontaneam aliquando morbum curaſſe, ita arte excitata utilis eſt. Emetica, quanquam remedia dubia, et forſan non periculo vacua eſſe apparent, nihilominus vero aliquando certe haud parum proſunt, vim vaſorum lymphaticorum abſorbentem augendo, ut fluxus urinae aliquando ſubſequens evidenter teſtatur. Aliquando, ut docemur in Clinicis Factis Doctoris HOME, ita profuerunt emetica, ut quantitas aquae magna eorum uſu ex ventriculo rejecta fuit. Morbo igitur incipiente, niſi dyſpnoea vel comatis ſigna uſum eorum vetuerit, forſan non ſine commodo uſurpari poſſunt. SYDENHAMUS clarus multum fiduciae in emeticis collocavit, et croco metallorum, qui tum movet vomitum, tum alvum purgat, uſus eſt. Sed in

in omni exemplo aegroto molestiam facessit, et in hydrothorace periculo non vacat.

Cathartica.—Cathartica sæpenumero prospero cum eventu adhibentur. Haec in classes duas dividi possunt; in *Acria* scilicet, et *Mitia*.

Acria.—Haec, quanquam olim magnopere laudabantur, tamen rarius praescribuntur, quia corpus ultra modum debilitando malum augere possunt. In initio tamen morbi, cum vires pene intactae sint, cum fructu forsan uti possunt. Drasticorum praecipua sunt, gambogia, jalapium, elaterium, et scammonium: Ex his, gambogia, et jalapium, cum Mercurio dulci consociatum, plerumque praescribuntur. Medicamenta hujusmodi singulis diebus, vel intervallis quam brevissimis, quod alioquin morbum potius augeant quam levent, summus jussit Sydenhamus. Hoc in modo nihilominus data summam debilitatem faciunt, et igitur ad mitiora, quae vires aegroti non adeo convellant, et aliquamdiu uti possunt, confugiamus oportet.

Mitia.—Haec ſunt ſales neutrales, quorum optimi videntur eſſe chryſtalli tartari, qui ſatis magnis doſibus, et frequenter repetitis, adhiberi debent; et ſic magnopere proſunt, alvum leniter ciendo, urinamque movendo. Hoc remedium ſaepe a celeberrimo Profeſſore HOME, in Noſocomio Edinenſi, optimo ſucceſſu uſum eſt.

DIURETICA.—Renes exitum aquae naturalem praebere videntur, igiturque haec remedia maximi momenti ſunt, et haud raro multum proſunt. Omnibus aliis remediis facile antecellunt in eo quod corpus debilitate non afficiant, et ergo per temporis ſpatium longius, quam ullum aliud remediorum genus, adhiberi poſſunt. Praecipua medicamenta diuretica, et quae maxime laudantur ſunt, *Scilla*, *Chryſtalli Tartari*, *Digitalis*, *Nicotiana*, *Colchicum*, *Lactuca Viroſa*, *Allium*, et *Salis Alkalini.*

Scilla.—Hoc remedium a multis ſummis lau-

dibus

dibus effertur, et revera diureticum ſatis efficax eſſe videtur. Effectus optimos praeſtare videtur talibus doſibus ut nauſeam incitaret data. Scillarum doſis, quoad quantitatem, admodum incerta eſt. Scilla exſiccata minus ventriculum turbat, et multo valentior eſt quam recens. CULLENO teſte raro prodeſt, niſi doſi mercurii ſatis larga adjuncta; namque aliter ſaepe alvum movet, nullamque vim diureticam habet.

Chryſtalli Tartari.—Hi in Noſocomio Edinenſi ſummo cum fructu ſaepiſſime dantur, et, ut antea dictum, ſatis magnis doſibus, et frequenter repetitis, adhiberi debent; et ſic magnopere proſunt, alvum leniter ciendo, urinamque movendo. Ad hoc autem efficiendum magna aquae copia ſolvi debent; nam ſi quantitas aquae quae adhibetur parva ſit, urinae ſecretionem haud valde promovent.

Digitalis.—Haec certe aliquando remedium

optimum reperitur; in ea vera exhibenda magnopere cavendum eſt, quoniam nonnunquam effectus vix non lethales edit, ſi incaute adhibeatur: doſibus igitur parvis incipiendum eſt, quae gradatim tantum augere debemus.

Nicotiana.—Hoc medicamentum a Doctore Fowler multum laudatur; cura tamen magna in ejus adminiſtratione adhiberi debet, quoniam vi ejus ſedativa haud aliter quam digitalis aliquando corpori nocet. Urinam certius movet, ſi prius vertiginis vel nauſeae ſupervenerit ſenſus.

Colchicum.—Hoc primum celebravit Doctor Storckius, ab aliis quoque medicis laudatur; tamen de ejus utilitate haud ſine ratione dubitari poteſt. Culleno judice, iners et inefficax eſt.

Lactuca Viroſa.—Haec a Doctore Collin medico Vienneníe, ob vires ſuas diureticas, multum laudatur.

Allium.

Allium.—Quanquam vires diureticas haud dubie poſſidet, tamen multa alia fortiora remedia exiſtunt. Pilulae ex allio confectae urinam non ſatis movent. Nuclei igitur ejus devorandi ſunt, namque major quantitas hoc in modo ſumi poteſt, certiuſque augetur urina.

Sales Alkalini.—Vix diuretici ſunt, niſi large aſſumpti, nam in doſibus minoribus adhibiti haud multum proſunt; forſan quia tunc, ut CULLENUS celeberrimus conjicit, Alkali parva quantitate ſumptum, cum acido ventriculi ſalem neutrum format. Doſem tamen eorum ſatis largam difficile dare eſt.

SUDORIFICA.—Haec remedia ſemper laudata fuere; eorum uſui tamen objicitur, quod debilitatem ſyſtemati inferre ſolent: quoniam vero a perſpiratione obſtructa haud raro oriri videatur hic morbus, certe commoda haud exigua ab iis ſperari poſſunt, quod experientia ſatis confirmat.

Pulvis

Pulvis ipecacuanhae compofitus (vulgo Pulvis Doveri) cum liquore aliquo cardiaco, veluti potus, Anglice *Gin Punch* appellatus, omnibus aliis hujufmodi remediis palmam praeripit. Alia quoque, nempe tartarus antimonialis, et vinum antimoniale, vel folum, vel opio conjunctum, haud raro ufurpantur.

Sialagoga.—Inter haec hydrargyrum praecipuum eft; et exempla haud pauca ab auctoribus memorantur, ubi Hydrops ex ejus ufu fanatus eft. Effectum talem edere videtur, non folum falivam, fed alias quoque excretiones augendo, praecipue exhalationem per cutem. Scirrho hepatis, aliorumve vifcerum fubftante, ad curationem morbi optime accommodatur.

CONSI-

CONSILIUM TERTIUM.

TONUM SYSTEMATIS RESTITUERE.

Remedia quae huic consilio optime respondent sunt DIAETA NUTRIENS, EXERCITATIO, MEDICAMENTA TONICA, FRICTIO et FASCIAE, BALNEUM FRIGIDUM, et AER PURUS ac SICCUS.

DIAETA NUTRIENS.—Haec nutriens et concoctu facilis esse debet, qualis caro assa, panisque bene fermentatus. Pro potu, optima sunt vinum rubrum, et cervisia fortis, Londinensis dicta.

EXERCITATIO.—Maxima commoda ex hac oriuntur; tamen semper debet esse modica, ita ut corpus non fatiget. Optimum est, si vires aegri sinant, ambulare; sin minus, curru deferri, aut equitare. Navigatio quoque nonnunquam magnopere proficit.

MEDI-

Medicamenta Tonica.—Horum praecipua ſunt, cortex Peruvianus, chalybeata, et amara.—Vis tonica corticis Peruviani neminem latet; magis ſolet proficere ſi liberaliter adhibeatur; ſi vero ventriculus infirmus ſit, doſis parva primo adminiſtrari debet, et deinde gradatim augeri poteſt. Quod chalybeata attinet, rubigo ferri, vel tincturae aeque bene ac ullae aliae ferri praeparationes conveniunt. Amara haud parum interdum proſunt, quoniam dum totum corpus roborent, ventriculo praeſertim vigorem conſiliant.

Frictio et Fasciae.—Frictio haud raro multum prodeſt. Panno laneo calefacto peragenda eſt, quem praeſtat oleo imbuere, ne cuticula abradetur. Frictionis effectibus haud parum favet lenis cum faſciis compreſſio, quoniam ſic fibrae laxae ſuſtinentur, et firmitudo et tonus aliquis ſolidis comparatur.

Balneum Frigidum.—Hoc remedium tonicis maxime pollet viribus; eo tamen non utendum eſt, donec

donec aegrotus convalefcere inceperit, et priftinas vires partim recuperaverit.

Aer purus ac siccus.—Quum aer ficcus et purus hominibus ex omnibus fere morbis convalefcentibus tot eximiis virtutibus gaudeat, vires reficiendo, fibris mufcularibus tonum reftituendo, et animo hilaritatem alacritatemque conciliando; et quum praeterea Anafarca ab aere humido ac impuro haud raro ortum ducat; nil mirum eft igitur eum ab hoc morbo convalefcentibus egregio remedio effe.

Dum hujufmodi remediis vires corporis labefactas renovare conemur, cura quam maxima adhibenda eft fecretiones et excretiones omnes promovere, praecipue perfpirationis et urinae; et fi aliquando praeter normam naturalem diminuantur, has reftaurare, et ad debitum ftatum revocare, fumma ope niti decet.

FINIS.